

seca individuationis principia incommunicabilitatem fundantia, sed ut extrinseca, vel exequendo, vel alliciendo, seu dirigendo. Unde quod plures actiones numero distinctas attingant, vel non attingant, non ex efficienti præcise sumitur, aut fine, sed ex dispositione materiæ a qua in hac parte efficiens pendet, et cui se accommodat, ut plures numero actiones habere possit, materia vero ex se habet hoc principium.

Ad aliam partem argumenti de speciebus, conceptibus, et actibus respondetur, quod respectu objectorum se possunt habere dupliciter. Primo, quod talis species, vel cognitio ad læquate se habeat ad istud individuum; secundo, quod inadæquate, quia attingit plura ut contenta sub una ratione, aut medio. Si hoc secundo modo, non multiplicantur species vel actus, sed eadem species multis actibus deservit, eadem numero visione plura in hoc medio contenta video, quia illa pluralitas est materialis ex parte objecti tacti, quæ non est principium multiplicandi individualiter visiones. Si primo modo, sunt actus aut representationes species distinctæ, quia id quod individuationis est in objecto respicitur per se, et ut adæquans talem actum, et consequenter ut specificativum ejus, et ideo tales differentiæ individuantes, quia sumuntur ut rationes adæquandi, et per se distinguendi actus, sumuntur ut specificantes, et licet in se entitative solum individualiter differant, tamen objective sunt specificativa diversa.

Quod vero attinet ad actus charitatis, aliqui tenent Christum Dominum non habuisse, nisi unum numero actum charitatis regulatum a visione beatifica, qui ut ferebatur in Deum erat necessarius, et non meritorius, ut autem in creaturas, ferebatur libere, et sic poterat esse meritorius, de quo videri potest Alvarez in p. disp. xlv et in id aliqui Thomistæ inclinant. Alii nec improbabiler existimant charitatem habere plures actus specie incompleta, et imperfecta distinctos, sicut distinguuntur diversi actus religionis, ut devotio, oratio, votum, adoratio, etc. Et fortitudo habet duos actus, agredi, et sustinere, et aliæ virtutes similiter, quos actus simul exercere possunt, atque adeo non solo numero distinguuntur, licet procedant ab habitu ejusdem speciei, sed habent diversam speciem incompletam, sicut duæ partes heterogenæ in homine: sic charitas habet duos actus distinctos, ut fatetur D. Thomas II-II, quæst. xlv, art. II ad 1, alium erga Deum, alium erga proximum, qui possunt esse simul, ergo plus quam numero distinguuntur. Quid ergo mirum, quod etiam erga Deum possit eadem charitas habere duos actus specie quasi incompleta, et partiali distinctos, alterum necessarium fructuonis regulatum visione beata, alterum libere regulatum scientia infusa non vidente clare Deum, et consequenter tales actus sint simul, sicut actus erga Deum, et erga proximum? Sed de his plura Theologi.

CIRCA LIBRUM SECUNDUM.

QUÆSTIO X.

DE ELEMENTIS, ET PRIMIS QUALITATIBUS.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit elementum, et quotuplex, et quæ sint qualitates primæ?

Elementum sumi potest dupliciter. Uno modo late, et communiter prout complectitur prima principia, et causas intrinsecas rerum, quæ ratione I Phys. q. II, art. I ex D. Thomæ diximus tria ista, scilicet principium, causa, elementum, habere se sicut magis, et minus commune, salvati autem elementum per hoc quod sit aliquid principium, et causa intrinsece componens. Causa autem magis communiter se habet, et complectitur etiam principia extrinseca, a quibus aliquid procedit cum dependentia, et participatione. Principium autem adhuc communius dicitur id, a quo aliquid procedit, etiamsi sine dependentia, et participatione, ut in divinis. Alio modo sumitur elementum strictius pro principii, quæ in se etiam sunt composita, et principia, utpote corpora composita ex materia, et forma, quia tamen sunt corpora simplicia dicuntur elementa, quatenus distinguuntur a mixtis quæ ex illis componuntur. Et sic sumuntur pro quatuor vulgaribus elementis, terra, et aqua, aere, et igne; de quibus agit tum in tertio de cælo, tum hic; sed ibi agitur de illis secundum

quod petunt determinatam situationem in universo; in præsentia autem prout sunt prima generabilia, et corruptibilia, sicque ad generationem, et corruptionem spectant. Definuntur autem elementum *quod est corpus, in quod cætera corpora dividuntur, in quibus inest actu, vel potentia, ipsum autem est indivisibile in diversa secundum speciem.* Ex corpus ponitur loco generis, et excludit illa elementa, quæ sunt prima principia corporum, ut materia, et forma, non autem sunt corpus, neque enim materia est corpus, sed principium corporis. Reliquæ particule ponuntur ad distinguendum ista elementa a reliquis mixtis, quæ non sunt corpora simplicia, et dicitur non dividi in alia corpora, id est, resolvi per alterationem, et corruptionem, mixta enim resolvuntur in elementa, elementa vero non resolvuntur in alia, sed unum corrumpitur ab alio, vel in unum tertium, quod est mixtum, conspirat: dicitur autem inesse elementum actu, vel potentia in mixto, quatenus elementa virtualiter manent in mixto per suas qualitates, ut supra questione quinta dictum est. Et licet etiam partes integrantes sint in corpore, actu, vel potentia, et in eas dividatur totum, non tamen dividitur per resolutionem alterativam, sed per divisionem quantitativam, ipsæ autem partes etiam resolvuntur in elementa.

Quotuplex autem sit elementum etiam ex tractatu in tertio de cælo constat, omissis enim antiquorum opinionibus, constat ponenda esse

quatuor elementa quæ supra numerata sunt. Id probat Aristoteles tum in tertio de cælo, ex motibus localibus, et situatione in universo, et ex gravitate et levitate, quæ omnes probationes in idem redeunt, quia solum sunt quatuor loca infra cælum, scilicet summum, quod tangit cælum, infimum, quod est centrum terræ, alterum prope summum, et alterum prope infimum, et sic correspondet etiam levitas summa supremo loco, gravitas summa infimo, mediis autem locis gravitas et levitas media, et sic sunt quatuor elementa, quæ petunt ista quatuor loca, et levitates, atque gravitates. In præsentem autem probat numerum elementorum ex numero qualitatum contrariarum, scilicet calore, et frigore, siccitate, et humiditate. Cum enim istæ sint qualitates primæ proprie, et per se conveniunt primis corporibus, quæ vocamus elementa, ex his autem aliqua debent competere in summo ipsis corporibus simplicibus, si enim nulla competere in summo, sed omnes temperate, et moderate, competere eo modo quo mixtis, in quibus omnes qualitates sunt moderate. Conveniente autem aliqua qualitate in summo, solum possunt fieri quatuor combinationes in convenientia istarum qualitatum, ergo solum possunt dari quatuor elementa. Minor probatur, quia solum possunt fieri istæ combinationes, scilicet calidum et siccum, calidum et humidum, frigidum et humidum, frigidum et siccum. Aliæ vero duæ, quæ possunt fieri inter qualitates contrarias, ut frigidum et calidum, siccum et humidum, non pertinent ad rem, nam si utraque est in gradu intenso non possunt esse simul in eodem subiecto. Si autem altera est intensa, vel est intensa in summo, et sic totaliter excludit oppositam, nec facit combinationem cum illa, vel est intensa

citra summum, ita quod admittat aliquid de opposito in gradu remisso, et hoc magis pertinet ad mixta, quam ad elementa, quia mixta sunt illa, quæ possunt habere omnes quatuor qualitates inter se temperatas; tunc autem illud corpus, quod haberet calidum et frigidum, non repugnaret habere omnes quatuor qualitates, posset enim etiam alias duas, scilicet humidum et siccum eodem modo temperatas habere, sicut calidum et frigidum, supposito quod nullam haberet in summo; ergo ut aliquid sit elementum non habens omnes quatuor qualitates, oportet, quod aliquam habeat in summo, ut ratione ejus aliquam totaliter excludat.

Cæterum, quia hæc ratio supponit dari quatuor primas qualitates, oportet explicare quid sint, et quomodo sint primæ. Quia ergo primum dicitur in aliquo genere per negationem alicujus prioris, illæ dicuntur primæ qualitates, quæ non habent alias priores saltem in illo genere. Unde definiri possunt primæ qualitates ad modum primorum principiorum: *Quæ nec ex aliis qualitatibus, nec ex seipsis mutuo fiunt, sed aliæ ex ipsis.*

De istis autem primis qualitatibus possumus loqui, vel absolute in omni genere qualitatis, vel strictius in genere corporali, vel adhuc strictius in genere corruptibili. Primo modo certum est qualitates spirituales, tam dignitate, quam causalitate esse priores, quia per ipsas moventur prima corporea, a quibus dependent primæ qualitates corporales. Secundo modo datur etiam aliqua qualitas prior istis primis qualitatibus, sicut sunt qualitates cælestes, inter quas principalior est lux, tum quia primo facta est a Deo, cum dictum est Genes. 1: *Fiat lux*; tum quia est immaterialior cæteris, et minus pendens a motu; manebit enim illu-

minatio etiam cessante motu cæli; tum quia convenit perfectissimo corpori, scilicet soli, et cælo empyreo. Similiter figura, et forma sunt qualitates communes corpori corruptibili, et incorruptibili, nec semper sequuntur ad alterationem primarum qualitatum, sed ad solam divisionem continui, vel ad creationem ipsius corporis incorruptibilis. At vero tertio modo dantur primæ qualitates generabiles, et corruptibiles, quæ sunt prima contraria in qualitatibus physicis, et sunt illa quatuor, scilicet calor et frigus, siccitas et humiditas. Et dicuntur primæ qualitates, quia in genere alterativo et corruptibili, ipsæ primo deserviunt ad omnem generationem substantialem, tam mixtorum, quam elementorum, et ideo propter suam universalitatem in deserviendi ad generationem, sunt primæ, et deinde, quia deserviunt ad primam sensibilitatem, et primum sensum omnium, qui est tactus, sunt enim per se primo tangibiles, tactus autem est primus sensus et fundamentum cæterorum. Et denique, quia omnes aliæ qualitates corruptivæ, et alterativæ in istis inferioribus, resultant ex istis tanquam ex prioribus, et simplicioribus, sicut odor, sapor, calor, gravitas, levitas, molle, durum et alia similia, quæ sunt qualitates mixtæ, quia proprie conveniunt corporibus mixtis, et sic resultant ex aliis prioribus, quæ conveniunt corporibus simplicibus, et non sunt aliæ, quam illæ quatuor dictæ, quas in elementis reperiri constat.

Quod si dicas: Nam præter istas qualitates dandæ sunt aliæ virtuales in elementis, quæ dicuntur tales, quia mediis ipsis substantia elementi producit ipsas quatuor primas qualitates, nam cum aqua, verbi gratia, vehementer calefit, nihil retinet de frigiditate formali, siquidem non sentitur in ea aliquid frigus, et

tamen retinet aliquid de virtuali, quia potest expellere per se illum calorem, et ad frigiditatem reduci, illa autem frigiditas non potest immediate a substantia aquæ dimanare, quia substantia non est per se activa, ergo ab aliqua qualitate quæ dicitur virtualis frigiditas, et idem est in aliis elementis respondetur, aliquos ita sentire, quod dentur istæ virtuales qualitates, quales etiam inveniuntur in aliquibus mixtis, sicut piper et vinum dicuntur virtualiter calida, et alia inveniuntur virtualiter frigida. Cæterum in elementis non possumus illas admittere sicut in mixtis. Nam istæ qualitates virtuales in elementis, vel sunt ejusdem speciei cum formalibus, vel non. Si sunt, ergo superfluum, ad quid enim duæ qualitates ejusdem speciei? Et currit eadem difficultas, quomodo scilicet istæ qualitates virtuales a subiecto possint dimanare, nam si dimanant per alias erit processus in infinitum: si per se ipsas, cur similiter non dimanabunt qualitates formales? Si non sunt ejusdem speciei, quomodo possunt esse ratio producendi qualitates formales, cujus speciei non sunt, siquidem simile solum agit in sibi simile? Item quia vel illa qualitas virtualis est per se sensibilis vel non. Si non, est qualitas ignota, et non convenit primo corpori per se sensibili, quale est elementum, omnes enim qualitates ejus sensibiles sunt; si est sensibilis, ergo erit ejusdem speciei cum aliis, quæ similiter sensibiles sunt. Et cum alias non indigeat substantia ad emanationem qualitatis sibi convenientis alia qualitate media, ut fiat ista emanatio, superflue ponuntur istæ qualitates virtuales, ut primæ formales emanent. Quod vero in aliquibus mixtis istæ qualitates virtuales inveniuntur, non est ad illud minus, ut videlicet aliæ qualitates me-

diantibus illis emanent, sed ut ipsa agant in alia, piper enim non se calefacit, sed stomachum, cum enim mixta fiant ex commixtione elementorum, contingit in aliquibus tale fieri temperamentum, ut calor vel frigus prædominetur, et cum illud temperamentum mixti a calore stomachi dissolvitur, prodit fortius illa qualitas prædominans, scilicet calor vel frigus, et acrius operatur.

Sed inquires, quare ab Aristotele quædam ex istis primis qualitatibus vocentur activæ, quædam passivæ. Respondetur Aristotelem tum in hoc libro II, text. VIII, tum in I Meteor. dicere, quod ex istis qualitatibus calor et frigus sunt activæ; siccitas et humiditas passivæ. Quod non est sic intelligendum, quasi ipsa siccitas et humiditas absolute et secundum se non sint activæ, agunt enim ad invicem, et producunt sibi similia; humiditas enim humectat, siccitas exsiccatur, et expellunt se tanquam contraria. Intelligitur ergo, quod comparative ad mixtum, et in ordine ad constituendum illud, siccum et humidum magis materialiter se habent, et passivæ, quam calidum et frigidum. Unde ea, in quibus humidum prædominatur, sunt bene passiva, quia facilius terminantur terminis alienis, quod pertinet ad humidum, vel retinent proprios, quod pertinet ad siccum, quæ autem sunt vehementiora in agendo, magis participant de calore, aut frigore, quia pertinet ad calidum et frigidum congregare, vel disgregare, quod importat actionem.

Ex dictis colligere possumus, quomodo explicandæ sint definitiones istarum primarum qualitatum, quas Aristoteles in præsentibus definit juxta activitatem, vel passivitatem earum. Calidum ergo definitur *id quod homogenea, et similia congregat;*

frigidum quod congregat dissimilia; humidum quod facile terminatur alieno termino, difficile proprio; siccum e converso quod difficile terminatur termino alieno, facile proprio. Quæ definitiones intelliguntur more physico, id est, quod tales qualitates istos effectus petunt, quantum est ex se, licet per accidens impediri possint. Nam calidum dicitur congregare homogenea, quia id petit ex vi suæ activitatis; imo si aliquando videtur congregare ea, quæ sunt diversi generis, aut laxare, et resolvere ea, quæ sunt ejusdem, ut cum congregat plures cibos, et ex illis facit liquorem in stomacho, aut cum resolvit glaciem, plumbum, æs, et similia; id facit non congregando ea, quæ sunt diversi generis manentibus in diverso genere, sed potius unam quandam substantiam tertiam ex illis educendo, verbi gratia, liquorem tertium, quem facit esse unum, et consequenter congregat rem unius generis; et similiter resolvendo glaciem, aut liquefaciendo plumbum, facit unum esse, quæ sunt unius generis, quia per ipsam resolutionem, et liquefactionem, segregantur quæ sunt unius generis ab alio, sicut quod admixtum est plumbo, et aliis metallis secernitur, et in alimento quod impurum est ab eo quod est purum, et ita semper, quæ sunt unius generis congregantur a calore, et disgregantur quæ sunt diversi generis. Frigus vero si congregat, non id facit resolvendo, sed potius spissando, et ideo non excernit; sed unum cum altero aggregat. Per accidens tamen dicitur frigus dissolvere, non rarefaciendo, sed quia recedente calore, manent partes suo officio impeditæ, et solutæ, ut cum dicuntur membra solvi frigore, quia recedentibus spiritibus vitalibus membra manent impedita. Similiter siccum dicitur difficile

terminari alieno termino per se, et ex vi siccitatis, non per accidens, sicut ignis, verbi gratia, ex vi siccitatis difficile terminatur alieno termino, imo de se libertatem quærit, et si nimis occludatur perit, tamen quia dominatur calor, et facit ipsum ignem rarum, hac ratione non operatur sola siccitas, sed etiam raritas, quæ facile cedit alieno termino. Et similiter pulveres minutissimi propter suam tenuitatem admittunt multum de aere inter partes minutas, et sic si non constipentur facile cedunt.

Solvuntur argumenta.

Contra numerum elementorum fit argumentum de igne: quia si esset elementum, deberet habere locum determinatum in universo, sicut reliqua elementa habent, sed hoc est falsum, ergo. Minor probatur, quia si haberet talem locum deberet esse supra aerem, quia ignis maxime levis est, sed non competit ei esse supra aerem, tum quia Aristoteles I Meteor. cap. IV, dicit: « Quod id quod prope lunam est, non est ignis, licet a nobis ignis vocetur; » tum quia ibi neque lucet, neque calefacit, si autem ibi esset non posset tam vastum corpus non sentiri, et in luce, et in calore; tum quia caret pabulo in tanta altitudine, ergo non potest ibi conservari. Confirmatur, quia elementa apud nos inveniuntur, cum qualitatibus mixtis, ut aqua cum sapore, datur enim aqua dulcis, vel falsa, vel amara: invenitur etiam terra cum peculiaribus virtutibus ad diversos effectus, qui exigunt temperamentum particulare, ergo non est elementum, sed mixtum.

Respondetur concedendo proprium locum ignis esse supra aerem, et prope cælum, hoc enim pe-

tit naturalis inclinatio ejus, quia habet majorem levitatem, quam aer, esset autem contra naturam dare igni talem inclinationem, et perpetuo privare illum tali loco. Ad locum ergo Aristotelis dicimus, quod non negat prope lunam esse ignem quoad substantiam elementi, sed quoad condiciones quas habet apud nos, et ratione quarum vocatur ignis, ibi enim propter suam tenuitatem potius videtur esse flamma, apud nos autem propter nimiam concretionem dicitur ignis. Sicut glacies non est elementum aque, sed excessus frigoris concreti in aqua.

Ad secundam probationem respondetur, quod ignis ibi non lucet propter nimiam raritatem, ut enim aliquid luceat, requiritur quod sit corpus terminatum et spissum, ut emittat radios, sicut etiam cælum empyreum non lucet, licet sit lucidissimum propter suam raritatem, ut advertit D. Thomas I part. qu. LXVI, articulo IV. Non calefacit autem ignis hæc inferiora, quia calor ignis funditur in directum, et ad latera, quia ibi diffundit suam virtutem, in quod tendit, in inferiora autem non tendit, et sic non diffundit calorem ad hæc inferiora, vel ita parum, quod ad tantam distantiam non sentitur. Ad tertiam dicitur, quod ignis in propria sphaera non indiget pabulo, sicut apud nos, quia hic patet multis contrariis, et cum fit substantia valde tenuis, facile interimitur, nisi in aliqua densiori materia fortificetur, quod non currit in sphaera propria.

Ad confirmationem respondetur, aliquos sentire non dari purum elementum, sed solum elementa inveniri in mixtis, contra quos videri potest M. Bannez II de gener. cap. III, quæst. I, circa ultimum argumentum. Dicendum ergo, quod elementum potest dici purum duplici-

ter. Uno modo substantialiter, id est, quod non habeat aliam formam substantialem, quam elementi. Alio modo accidentaliter, et quoad suas qualitates, de quibus possumus loqui dupliciter, vel prout sunt in propriis locis, vel extra illa. Igitur quoad formam substantialem omnia elementa etiam extra loca naturalia sunt pura, quod patet, quia ex hoc quod ponuntur extra propria loca non corrumpuntur, nec fiunt mixta, ergo manent substantialiter elementa. Quoad qualitates autem certum est, alicubi inveniri elementa pura, sicut ignis in sua sphaera, aut prope concavum lunæ, ubi nullum aliud corpus reperiri potest, a quo reddatur impurus; et terra etiam in profundioribus partibus, quo non perveniunt alterationes cæli, erit pura propter exclusionem alterius corporis mixtionem facientis. Et probabile est etiam in profundo maris inveniri aquam puram, sed ibi nec habebit saporem nec colorem. Quod vero aqua usualis apud nos saporem habeat, extraneum est ipsi, et non ex propriis; et præsertim salsedo maris ex adustis exhalationibus provenit, et a Deo attributa est illi propter generationem piscium, et commoditatem navigationis, ut dicemus in Meteoris, tractatu septimo.

Secundo arguitur: Quia numerus quatuor elementorum, neque deducitur ex motu corporum simplicium, neque ex loco eis debito, neque ex combinationibus primarium qualitatum, ergo ex nullo principio. Antecedens probatur, nam si attendamus ad motum sunt tres differentie, scilicet a centro, ad centrum, circa centrum, ergo erunt tria elementa. Si attendamus ad locum, sunt duo, scilicet sursum et deorsum, duæ etiam virtutes movendi, scilicet gravitas et levitas, ergo solum duo elementa. Si attendamus ad combi-

nationes primarum qualitatum, illæ possunt fieri multo plures quam quatuor, possunt enim conjungi istæ primæ qualitates secundum diversos gradus pluribus modis, ut calidum in summo, et siccum infra summum, et similiter calidum et siccum in summo, idemque de calido et humido, et de frigido et sicco dici potest. In gradibus autem remissis plures etiam combinationes fieri possunt, cum etiam contrariæ qualitates in gradibus remissis simul esse possint, et non solum qualitates non contrariæ. Plures ergo combinationes possunt fieri quæ quatuor, et consequenter plura elementa.

Respondetur quod quando colligimus numerum elementorum ex motu simplicium corporum, intelligitur de simplicibus corporibus corruptibilibus, incorruptibile enim quod est cælum movetur circulariter, seu circa centrum, ut monstrat ejus figura, et quotidiana experientia. Motus ergo simplicium corporum corruptibilium solum est a centro, vel ad centrum, sed duobus convenit per extremum, scilicet terre in ipso centro, et igni distantissime a centro, id est, prope cælum, aliis duobus medio modo, scilicet prope centrum aquæ, et prope ignem aeri. Idem dicimus de loco, quod est duplex, loquendo quasi in genere, scilicet sursum et deorsum, sed dividitur in quatuor modos, scilicet sursum, et deorsum, per extremum et sursum, et deorsum medio modo. Gravitas etiam et levitas invenitur, vel in summo ut in terra et igne, vel medio modo ut in aqua et aere. Quod vero attinet ad alias combinationes jam supra diximus illas non esse possibles pro elementis, sed vel pro mixtis, si qualitates contrariæ reducuntur ad temperamentum, vel si pro elementis sunt possibles qualitates in gradu remisso, id ne-

cessario debet esse cum exclusionem sui contrarii, nam si utrumque contrarium admittatur in gradu remisso, habebit temperamentum omnium qualitatum primarum, quod est proprium mixti. An vero detur elementum cui conveniant duæ qualitates in summo, vel duæ in gradu excellenti, et nulla in summo, dicemus articulo tertio.

ARTICULUS II.

Utrum qualitates contrariæ se expellant in gradibus intensis, et compatiantur in remissis?

Contrarias qualitates mutuo se expellere, tum experientia quotidiana monstrat, tum definitio ipsa contrariorum tradita ab Aristotele x Metaph. capit. vi, contraria sunt quæ sub eodem genere maxime distant, et ab eodem subjecto mutuo se expellunt. Difficultas ergo est, an ista repugnantia, et expulsio fiat ratione ipsius entitatis qualitatum, an solum ratione gradus, et status, quem habent, ita ut solum in gradibus intensis contrarietur, non in remissis. Inde enim dependebit cognoscere, in quo fundetur ratio contrarietatis, et cur unum contrarium expellat alterum, deservietque hæc doctrina etiam pro contrariis moribus, et intellectualibus.

Dico PRIMO: Contrarietas, quæ est specialis oppositio, licet origine a contradictoria, et privativa, aliquid tamen speciale addit supra illas, scilicet quod in ea invenitur medium cum positivis extremis. Constat hoc ex x Metaph. text. xv, lect. vi apud D. Thomam et opuscul. xxxvii de oppositis. Et ratio est, quia de ratione cujuscunque oppositi est, quod repugnet suo opposito, si enim non repugnat illi, sed solum convenit cum illo, et simul possunt esse non est oppositum illi, sed ap-

positum, et conveniens. Debet ergo unum includere negationem alterius, quia repugnantiam, et exclusionem alterius habet; excludere autem non potest nisi negando illud. Omnis autem negatio, et positio principaliter inveniuntur in contradictoriis, deinde in privativis, cæcitas enim importat negationem visus, in contrariis album negationem nigri; et in relativis filius non est pater illius cujus est filius. Hæc autem sunt omnia genera oppositorum.

In quo autem consistat specialis repugnantia contrariorum, difficile satis explicatur. Specialem enim repugnantiam habere constat, quia specialiter distinguitur ab aliis speciebus oppositionis, inter quas una est ipsa contrarietas. Difficile autem explicatur propter aliqua, quæ mutuo se expellunt, et sub eodem genere inveniuntur maxime distare, et tamen contraria non sunt, ut duæ formæ substantiales, verbi gratia, forma ignis, et aquæ sub genere corporis, duæ formæ animalium, verbi gratia, hominis, et vermis sub eodem genere animalis, maxime enim distant inter se, quia plura habent intermedia minus distantia, seu disconvenientia, neque enim requiritur ad maximam distantiam, quod in ipsis formis invenitur magis et minus, aut quædam successiva expulsio; tum quia dantur aliqua contraria immediata, quæ non successive, et paulatim, sed indivisibiliter, et non per partes se expellunt, ut par et impar, sanum et ægrum, et ideo necesse est alterum eorum inesse in subjecto capaci; alia vero sunt mediata, ut album et nigrum, necesse enim necesse est alterum inesse; et similiter error et scientia, odium et amor sunt contraria, et tamen non se expellunt successive, sed simul, ac totaliter.

Dicendum tamen est, hanc specialem repugnantiam consistere in eo quod diximus quod contrarietas habet medium cum positivis extremis, quanto enim aliqua oppositio minus latitudinis habet, et magis coarctat, ut unum affirmetur, seu assumatur, et aliud relinquatur, tanto major est, quanto plus habet latitudinis, et minus coarctationis, tanto magis relinquit de medio, quia non est necesse alterum extremorum assumere, sed potest assumi medium, tanto autem extrema magis se coarctant, et minus relinquunt de medio, quanto unum ex ipsis extremis universalis est, et minus determinatam distantiam relinquit in repugnando alteri. Et ita contradictio caret omni medio, et latitudine, et distantia, tam ex parte ipsarum formarum inter se, quam ex parte subjecti in quo sunt, quia versatur inter puram negationem, et affirmationem, id est, inter esse, et non esse. Privatio autem, et forma etiam inter se carent medio, cum privatio sit quædam negatio formæ, sed tamen ratione subjecti potest habere medium, quia requirit subjectum determinatum, ut talis negatio privatio sit, et quia non semper tale subjectum determinatum invenitur potest dari medium sicut lapis, neque est cæcus, neque videns, quia subjectum non est capax visus, et consequenter neque cæcitatatis. At vero contraria, licet privationem includant, aut fundent, tamen habent illam imbibitam in aliquo positivo, quia contraria positiva extrema seu formas requirunt, inter quas contrarietas versatur, quæ tamen debent recipi in eodem subjecto, quia contraria debent versari circa idem, id est, circa subjectum capax utriusque. Quare non solum ratione determinati subjecti, id est, habentis capacitatem utriusque contrarii, sed etiam ex parte ipsorum

extremorum, oportet quod fundetur determinata distantia, et oppositio inter ipsa contraria, eo quod contraria debent esse comparabilia ad invicem, quia unum dicitur melius altero, sicut virtus melior vicio, scientia errore, albedo nigredine, sanitas ægritudine, etc. quæ autem sunt sub diverso genere, non sunt comparabilia, sed magis distant, quam ut comparari possint, quia non possunt ad invicem transmutari, neque unum meliorari præ alio, sicut non dicitur album melius quantitate, vel figura, sed unum dicitur melius per comparisonem ad sum oppositum sub eodem genere; et ideo oportet, quod contraria, quia comparabilia sunt ad invicem, et transmutabilia, contineantur sub eodem genere, et consequenter habeant determinatam distantiam, non solum ratione subjecti, sed etiam ratione sui generis, quod non habent privative, neque contradictorie opposita, quia extrema, inter quæ versantur, non sunt sub eodem genere, scilicet negatio, et forma, ulterius autem non opponuntur in respiciendo, sicut relativa, sed in transmutando, et expellendo ab eodem subjecto.

Additur vero in definitione contrariorum, quod non solum sint sub eodem genere, sed etiam quod maxime distent, id est, quod sub illo genere se habeant ut termini, seu ultima, inter quæ fit transmutatio, et processus de uno in aliud, in illis enim quæ differunt genere physico, non est accipere transmutationem de uno in aliud, neque est medium per quod fiat transitus, quia non communicant in materia (genus physicum vocatur materia) sicut qualitas non transit in substantiam, nec substantia in quantitatem, sed transmutatio fit in his, quæ sunt in eodem genere. Unde cum in ista transmutatione fit processus de uno

in aliud, et sistatur in aliquibus ultimis, ne procedatur in infinitum, illa quæ ultimo sistunt processum, et transmutationem, dicuntur maxime distare quia extreme distant. Unde ex transmutatione recte colligitur contrarietas, ut collegit Philosphus x Met. et D. Thomas ibi lect. vi.

Ut autem ex his constare possit quomodo in formis substantialibus non inveniat contrarietas proprie dicta, est notandum, quod ista transmutatio est duplex, alia sine motu, sicut quæ fit in materia prima, ut est pura potentia ad formas substantiales, alia cum proprio motu, quando scilicet potest inveniri inter formam, et formam aliqua continuatione, vel secundum magis, et minus, vel secundum additionem, aut minorationem formæ, quæ illam variare faciat, in formis enim substantialibus fit variatio, sicut in numeris, in quibus quælibet additio variat speciem, in qualitatibus autem contrariis et Physiis fit variatio ad modum continuitatis, ex eo enim una forma transmutatur in aliam, quia aliqua additione, vel diminutione fit alia, sicut album de generando in pallidum, et in viride fit nigrum, et calidum diminuendo gradus caloris fit tepidum, et transit in frigidum. Prima ergo transmutatio non pervenit ad contrarietatem propriam, sed est principium contrarietatis, quia quælibet forma substantialis habet adjunctam privationem alterius, privatio autem est principium contrarietatis, et sic principia naturalia dicuntur esse contraria contrarietate inchoata, quæ est privatio, et forma, ut diximus i Phys. q. ii. Secunda vero contrarietas est formalis, et propria. Ratio est, quia prima transmutatio non fit secundum distantiam determinatam vincendam per motum, et per modum ejusdem continuitatis,

sed per modum mutationis, et hoc ideo est, quia quælibet forma substantialis hoc ipso, quod substantialis est, dat primum esse, quod est esse simpliciter, et sic excludit aliam per impossibilitatem, quia repugnat in eodem subjecto duas formas esse æque primas, et dare primum esse, quod est esse simpliciter, et sic non opponuntur penes aliquam distantiam maximam, et positivam suo eodem genere, sed penes primum, et totale esse, et non primum, seu non totale, inter quæ non est latitudo, nec distantia divisibilis, sed indivisibilis oppositio, de quo etiam diximus question. ii Physic, et quest. xix, et supra etiam question. quinta.

Secunda autem transmutatio cum habeat transitum divisibilem, et determinatam distantiam ex parte ipsorum extremorum, seu formarum inter quas versatur, quatenus inter ipsas formas est aliqua continuatio, vel successio secundum magis, et minus, ratione cujus una forma facilius, vel difficiliter removetur a subjecto, et dat locum alteri ex ipsa propria ratione sui quod etiam invenitur in ipsis habitibus, et actibus, sicut remissio amoris dat locum odio, et qui remittit virtutem, paulatim admittit vitium: ideo fundatur perfecta, et consummata contrarietas in hujusmodi transmutatione, quia invenitur in ea perfecta latitudo, secundum quam formæ sint transmutabiles, et distant maxime sub eodem genere, quæ est definitio contrariorum.

Sic ergo formæ substantiales licet sint sub eodem genere, et possint habere distantiam secundum majorem, vel minorem convenientiam, non tamen habent rationem magis, vel minus in accedendo, vel recedendo ad invicem, ita quod transmutentur de una ad aliam per motum. Dupliciter enim potest sumi distan-

tia. Uno modo, ut opponitur convenientiæ et similitudini, et sic est idem, quod dissimilitudo. Alio modo ut dicit recessum continuitatis, et propinquitatis; et sic primo modo est distantia in relatione, secundo in quantitate, seu divisibilitate. Et primo modo potest inveniri in substantia, quia quædam magis conveniunt, et alia minus sub eodem genere, et ita magis participant de similitudine, vel dissimilitudine. Secundo autem modo non est divisibilitas, in quantitativibus autem distantia secundum latitudinem divisibilem, vel inter formam, quatenus formæ tales sunt quod per additionem, vel minorationem variantur, vel quatenus penes magis, et minus crescere, aut decrescere possunt, et ratione illius magis, vel minus excludere formam oppositam, et cum maxime excludit, seu opponitur tunc maxime distat. Formæ ergo, quæ ex sua propria ratione non possunt fundare exclusionem per modum latitudinis, et divisibilitatis, sed per se, et ab extrinseco sine ulla latitudine, et divisibilitate se excludunt, contrarietatem non fundant. Quæ doctrina videri potest in D. Thoma x Met. lect. vi, et xi Met. lect. xii.

Ad id vero quod dicitur de actibus erroris et scientiæ, odii et amoris, respondetur quod etiam habent latitudinem divisibilem, quia suscipiunt magis, et consequenter per se, et ab intrinseco, se magis, vel minus excludunt ab eodem subjecto, secundum quod forma opposita est magis radicata, et intensa, et difficilius expellitur. Et licet etiam aliquæ formæ substantiales difficilius expellantur quam aliæ, id tamen non est ex ipsa ratione formæ, quæ ex propria ratione habeat magis, vel minus inesse, sed propter dispositiones, quibus forma introducitur, et conservatur in subjecto, et istæ suscipiunt magis, et minus. Quod vero

dicitur de contrariis mediatis, vel immediatis, respondetur omnia contraria habere medium ex parte latitudinis formarum, quia suscipiunt magis et minus, si talia contraria sint de genere qualitatis, nam par et impar sunt de genere numeri, non tamen omnia habent latitudinem, et medium ex parte capacitatis, et indifferentiæ subjecti, quia in aliquibus subjectum ita est determinatum, ut unum vel alterum contrarium necessario debeat habere, et respectu subjecti sic determinati, et dispositi dicuntur contraria aliqua immediata, quæ vero subjectum habent, non ita determinatum, ut necessario habeat alterum contrarium, respectu illius dicuntur mediata; et ita explicat D. Thomas x Met. citato, lect. x.

Dico secundo: Contraria in gradibus intensis naturaliter repugnant esse simul, non tamen de potentia absoluta quantum est ex vi contrarietatis, licet ex aliquo adjuncto aliquando sit impossibile. Prima pars satis manifesta est, tum experientia, quia crescente calore videmus non compati frigus; tum ex definitione, quia contraria pugnant inter se, ergo aliquid debet vincere, et aliud cedere, seu expelli, alias pugna non terminaretur, sed quando unum contrarium est in gradu intenso, perfecte sibi subiecit subjectum, et vincit illud, ergo oportet quod expellat aliud oppositum, quia est impedimentum, ne perfecte subiciat sibi subjectum. Denique, motus est inter contraria, ergo accessus ad unum habet pro termino a quo recessus ab alio, sed terminus a quo excluditur per terminum ad quem; ergo unum contrarium expellit aliud.

Secunda pars majorem habet difficultatem, et negatur ab aliquibus, eo quod contraria afferunt secundum privationem, et si ponantur simul,

sequitur quod erit forma, et sua privatio, quod nec de potentia absoluta stare potest; præterquam quod in aliquibus est omnino impossibile, v. g. quod sint simul error et scientia, odium et amor, par et impar, et alia similia. Quare oportet reddere rationem cur quædam possint simul reperiri divinitus, quædam non.

Dico ergo: Quod cum omnia contraria fundentur in privatione, omnia conveniunt in hoc quod debent esse in se privata alio contrario, quia quælibet forma et natura propter sui limitationem habet privationem alterius. Cæterum hæc non est proprie privatio contrariorum, sed negatio quædam imbibita in essentiali conceptu cujuscunque entis limitati, sicut homo habet negationem lapidis, et leonis, etc. Secundo, habent contraria privationem respectu subjecti quatenus se expellunt a subjecto, in quo inhaerent, et non solum a ratione et prædicatis essentiæ, seu formæ in se. Et hoc modo non convenit omnibus formis ista privatio, quædam enim se compatiuntur in subjecto, ut calor et color, et similia, alia vero se expellunt, et sunt contraria. Sed in his adhuc est differentia, quia quædam habent istam privationem expulsivam formæ oppositæ a subjecto quasi secundario, et consecutive ad informationem ipsius formæ in subjecto: quædam vero habent illam quasi antecedenter, et ex parte subjecti requisitam, ut talis forma in illo subjecto subiectetur, illudque informet, ita quod subjectum non possit suscipere unum contrarium, nisi prius in se supponat privationem alterius. Quando ergo primo modo se habet contrarietas in formis, cum privatio, seu expulsio alterius sit effectus secundarius post informationem formæ, non repugnat de potentia absoluta impediri, quia est privatio

secundario consecuta, non pertinet ad essentialem informationem formæ sicut etiam stat bene duas quantitates penetrari, et non se expellere a loco, quia expulsio illa est effectus secundarius quantitatis. Deinde, nisi aliud obstet, bene poterit talis effectus impediri in formis contrariis, etiamsi sit privativus, et expulsivus alterius formæ, quia videlicet ipsa privatio formæ non est requisita antecedenter, et ex parte subjecti ad hoc, ut aliud contrarium recipiat. Ratio hujus est, quia omnis expulsio aliorum a subjecto, nascitur ex aliquo, quod per se est expulsio, per se autem primo expulsio est inter esse et non esse, quæ est prima ratio omnium oppositionum, non ex aliquo præsupposito consecuta, et ideo contradictoria oppositio est radix, et principium cæterarum oppositionum, ergo in his, in quibus per se primo, et essentialiter invenitur ipsa ratio exclusionis, nullo modo potest etiam de potentia absoluta esse conjunctio, eo quod essentia unius in ipsa exclusione consistit. Ubi autem unum essentialiter non est exclusio alterius, poterit unum esse cum alio, etiamsi naturaliter sequatur ad alterum ad modum propriæ passionis, quia potest impediri ista resultantia. Si autem antecedenter præquiratur ex parte subjecti negatio alterius, ut recipiatur forma opposita, non poterit tunc conjungi in tali subjecto, quia ipsa negatio, quæ præsupponitur essentialiter est exclusio.

Quod si dicatur, requiri ex parte subjecti negationem contrarii non essentialiter, sed naturaliter, imo illa negatio, et expulsio est causata ex opposita forma introducta, non autem prius acquiritur in subjecto quam forma ad quam sequitur, ut negativum ad positivum, non ergo distinguitur ab expulsionem consecuta.

ta, et sic poterit esse aliquid simul videns et credens, amans et odiens idem objectum aegrum et sanum in eadem parte, contra est, quia hoc ipso quod requiritur ex parte subjecti privatio, non pertinet ad dispositionem, cum privatio non sit aliquid positivum determinans et disponens, sed pertinet ad habilitatem et capacitatem subjecti, ut recipiat aliquam formam, unde si sine tali privatione est incapax, nullo modo sine ea forma recipi potest: credens enim, verbi gratia, requirit ut subjectum sit capax credendi, quod sit non videns, quia requirit objectum esse non visum denominative a negatione videns, et requirit subjectum esse in motu, seu non possidere per visionem, videns autem requirit subjectum quiescens in re visa, quies autem est privatio motus. Similiter odiens requirit subjectum fugiens, quod excludit quietem, quæ est in amore, et idem est in tristitia et gaudio, et aliis quæ opponuntur penes fugam, et prosecutionem, seu quietem; ægritudo etiam est tendentia ad mortem, sanum vero est quies in forma vitali, id est, petit quod informet anima sine motu ad corruptionem. Quod vero dicitur talem negationem, seu exclusionem causari, et consequi ad formam oppositam introductam, respondetur quod sine illa negatio ex parte subjecti requisita causetur a forma, v. g. ab actu fidei, negatio videndi, sive præsupponatur ab alia causa in subjecto, quod est verius, tamen illa revera requiritur ex parte subjecti, ut sit capax talis formæ, et ideo non relinquatur in subjecto semel habente talem formam capacitatis ad oppositum, quia obstat privatio ejus requisita ex parte subjecti ut recipiat aliam. Cæterum in aliis formis expulsio unius formæ præcise sequitur formam et conditionem ejus, quæ introducit, quatenus in-

compossibilis est cum altera, et sic præcise est expulsio ejus, expulsio autem semper sequitur causam expellentem, id est, formam tanquam secundarius effectus ejus, tanquam negativum ad positivum. Quando vero negatio habilitat, et disponit subjectum, ut possit recipere aliquam formam, illa negatio non est præcise expulsio, et secundarius effectus formæ, nec requisitum in subjecto ut expulsio formæ, sed ut conditio pertinens ad habilitatem ejus ut recipiat, et ideo posita receptione, non stat oppositum poni, posita vero causa expulsionis, stat impediri effectum qui est expulsio. Et sic intelligo D. Thomam I-II, q. LXXVII, art. III, quando dicit, quod opinio, et fides opponuntur cum scientia, seu evidentia ex parte subjecti, et non solum ex parte mediæ, vel objecti, quia scilicet requiritur ad hoc, ut subjectum sit capax fidei, quod sit non videns, et sic præsupponitur exclusio scientiæ, ut recipiatur fides.

Et si quæras, quænam sunt istæ formæ, quæ ex parte subjecti supponunt privationem, seu exclusionem formæ oppositæ, ut subjectum sit capax suscipiendi illa, respondeatur primo, esse formas quæ sunt contraria immediata, in quibus etiam includuntur actus illi evidentes et inevidentes, fugæ et prosecutionis. Secundo, formæ substantiales. Tertio, formæ situationales, quæ distantiam aliquam important. Primæ quidem formæ, ut recipiantur, exigunt quod subjectum sit in aliqua quiete, vel motu, seu privatione opposita, ut explicatum est: quod in contrariis mediatis non currit, nam calor, v. g. ut recipiatur in subjecto solum requiritur quod sit in potentia calidum, et nihil amplius. Secundæ vero formæ, quia se habent ut formæ substantiales, quæ dat primum esse, et consequenter supponunt non

dari aliquam priorem formam dantem prius esse. Tertiæ, quia ubi est diversitas distantie non potest una distantia simul esse cum altera, quia sic esset indistans ab illa, ergo nequeunt esse simul formæ illæ, quæ diversitatem istam distantie includunt.

Sed objicies: Nam in habitibus intellectus, et voluntatis curret ratio allata, quia poterunt simul esse habitus vitii et virtutis, erroris et scientiæ et opinionis, siquidem habitus isti ut recipiantur in subjecto, non præsupponunt privationem oppositam, sed solum expulsio unius consecutive se habet ad alterum, ergo poterunt simul denominare subjectum, et sic poterit aliquis simul denominari temperatus et intemperatus, superbus et humilis, sciens et errans. Respondetur quod habitus isti sint virtutis acquisitæ, non repugnant simul esse cum habitibus oppositis in gradibus remissis, sed in intensis, sicut alia omnia contraria, si physice tantum considerentur et ita unus actus vitii non expellit habitum virtutis acquisitæ quoad suam entitatem physicam, ut constat ex D. Thoma I quest. LXXI, artic. IV, atque adeo requiruntur plures actus generantes habitum vitiosum, et ille expellet virtutes secundum legem aliorum contrariorum; opponuntur enim habitus sicut inclinationes oppositæ, quæ in actum non se explicant, et ita solum opponuntur ratione contrarietatis physiciæ, sicut alia contraria. Cæterum quantum ad denominationem, non denominat uterque habitus subjectum duplici ratione. Primo, quia in contrariis solum denominat forma prædominans, ut si in subjecto sit calor ut sex, et frigus ut duo, simpliciter denominatur calidum, non vero calidum et frigidum. Et ita ille habitus faciet denominationem (etiamsi solum attendamus ad phy-

sicam informationem) qui fuerit perfectior et intensior. Secundo, quoad denominationem habituum moralium, ille habitus simpliciter denominat, qui non solum est entitative in subjecto, sed supponit conversionem ad finem suum in subjecto, semper enim finis prædominatur in denominando subjectum inclinatum ad aliquid, etiamsi minus intensus actus, vel habitus habeat in subjecto, quam qui oppositum finem respiciunt, quia conversio finis rapit totum suppositum. Et quia non potest aliquis simul esse conversus ad duos fines ultimos peccati et virtutis, ideo non potest simul denominari superbus et humilis, temperatus et intemperatus, licet habeat utrumque habitum entitative, sed solum ab illo, ad cujus finem est conversus. Habitibus autem erroris et scientiæ nunquam possunt esse simul, quia scientificus habitus semper est perfectus ratione evidentie, quæ perfecte convincit subjectum, et ita non compatitur cum opposito, sicut forma intensa quæ vincit subjectum.

Dices: Cur actus contrarii vitales ita sibi contrariantur, ut nullo modo simul esse possint, habitus autem non? Respondetur, quod actus si solum essent productivi suorum habituum tanquam actiones et motus ad illas, et non amplius, eodem modo contrariarentur, sicut ipsi habitus, seu formæ productæ, sicut in alterationibus physicis, verbi gratia, calefactione et infrigidatione, est eadem contrarietas, quæ in ipsis qualitatibus productis, ut diximus in *Physicis*, quæst. XIX, articulo ultimo. At vero actus potentiarum non solum sunt actiones productivæ habituum, sed etiam in seipsis sunt perfectiones et dispositiones potentie, quæ ratione sui, et non ratione habituum habent suam oppositionem. Et quia actu explicant ordi-